

P V I S



1 6 0 3

LIX.

EPITHALAMION

57

IN HONOREM

SACRI NVPTIALIS, VENE-

RANDI, DOCTI AC PII VIRI, DOMINI MAGI-

stri Iohannis Hameri, Ecclesiastæ Huse-

mensis, & pudicæ uirginis Mariæ

Petri Husemensis scri-

ptum

A

M. PETRO HARRINGO HAT.

stedio, Pastore Ecclesiæ Gorcensis.

die 20. Augusti.



WITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO,

ANNO M. D. LXIIII.

72

111

THE HONORABLE

THE LORDS OF THE

COMMONS OF GREAT

BRITAIN

IN PARLIAMENT

ASSEMBLED

THE 14th DAY OF

MAY 1801

IN ANSWER TO A

RESOLUTION PASSED

IN PARLIAMENT



IN LAUDEM CONIUGII.

CVI pia contingit diuino munere coniunx
Quam pudor, & virtus ornat, & alma fides:
Inter opes mundi dos illi maxima cessit,
Virgo satis diues si qua pudica satis.
Illa viri consors, ea sola & vera voluptas
Quæ reficit sensus, lassaq; membra leuat:
Illa viro dulces probitate aspirat honores,
Illam cum male habet, mite leuamen habet.
Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam,
Ante oculos absens semper adesse solet.
Hæc fidei cultrix, & habenda sedula prolis,
Nexa Dei verbo pendet ab ore viri.
Ex quo cuncta Deus Verbo viuente creasset,
Adam factus humo nomina cœpit homo.
Iamq; soporato cum carne & sanguine costam
Exerit, ac Euam nobile condit opus.
Nuda fuit sed erat donis ornata Deorum.
Culta puella nimis casta puella minus.
Ductor erat satus ipse Deo qui pronubus Euam,
Consortem thalamo fecit Adame tuo.
Hanc tibi, dixit, habe tibi seruiat orbis & æther,
Qua positus fueris in statione mane.
Tu sociam reuerenter habe, cui solus adhære,
Soluta ama & solam pectore solus habe.

A ij Ferue.

Ferueat vna caro, spiret mens vna duobus,
Crescite fecundo nuptaq; virq; thoro.
Prona Deus castis defigit lumina sponsis.
Nec nisi legitime corpora iuncta placent.
Sancit & accendit flammis Spirator honestas,
Casta volunt casta numina mente coli.
Hoc in amore potes Christi cognoscere flammis,
Atq; Deum vera dicere voce Patrem.
Sic operas haurire datas, vt poscit honestas,
Sic seruire Deo, poscit vt ipse, potes.
Sic potes obsequijs animum submittere iustis,
Inq; fide victus quærerere iura tui.
Nate Dei fuso redimis qui sanguine sponsam,
Et iustam meritis efficis ipse tuis:
Fac tua sit totum felix Hephziba per orbem,
Tu rege naturæ viscera iuncta tuæ.
Suffice coniugibus vires, & cæpta secundes,
Possit vt hinc cultor nominis ire tui.
Fac casti maneant in relligione nepotes,
Bella preme & toto spiret in orbe quies.

Iohannes Maior
Ioachimus D.

EPITHALAMION.

PAUPERIS accedens Christus conuiuia sponsi,
Coniugij sacris addidit ipse decus.
Mutauit tenuem Vinis sponsalibus vndam,
Connubij ostendens iura placere sibi.
Ipsa parens Christi, muliebris gloria cœtus,
In nuptæ tædas officiosa fuit.
Edidit in terris miracula plurima Christus,
Donatus primo est connubialis Hymen.
Christe faue cœptis, festosq; accede Hymenæos,
Coniugij præsens numen & autor ades.
Ducitur ex uoto, docto noua nupta Iohanni,
Qui contra hæreticos Malleus acer erit.
Nempe tuas bene pascit oues, ea pabula miscet,
Quæ dare debilibus pagina sacra iubet.
Firmas & validas fœcunda in pascua ducit,
Ad caua post pastas flumina cautus agit.
Si quæ sunt scabræ, nouit medicaminis herbas
Acreis: Non leni pellitur arte malum.
Quasq; gregi adiungit niueo, prius amne salubri
Mersat, vt à fœda labe situq; lauet.
Quando lupi circum balantia septa vagantur,
Et quam diripiant insidiantur oui.
Insidiatores arcet vigilanter ouili,
Arma quibus rabidos sacra repellat, habet.

A ij Quam

Quam tibi fatidicus diuina Ecclesia pastor,
Quamq; tuæ firma est Christe columna scholæ.
Addidit Ausonijs idiomatica Graia Camœnis,
Callet & Hæbræo biblia sacra sono.
Ex his percepit, sed enim monstrante Luthero,
Quæ nos non fallax ducat ad astra via.
Percepit Christi quæ sit cœlestis origo,
Dicatur patris qua ratione λόγος.
Spiritus & nouit quam sancto suscitetur igni,
Æterno purè corda renata Deo.
Tam nouit doctis diuinas uocibus aures
Vincere, ut haud unquam uota repulsa cadant.
Ergo ades, & casto, faueas paranymphus amori
Christe, pudicitiae fausta precare thoro.
Quos præscripsisti fines & amoribus oras,
Hos duxit magnum præterijisse nefas.
Illum diuini rexit tua semita uerbi,
Quodq; docet populum sedulus ipse facit.
A puero purus plenus adoleuit in annos,
Te coluit solum, Pieridesq; Deas.
Non aliam sancto concepit pectore flammam,
Non se terrenis sordibus inseruit.
Hic fuit vnus amor, sacras meditari artes,
Scrutari doctos nocte dieq; libros.
Versari ætherea semper mens gaudet in aula,
Gestijt hoc solo pectus amore frui.

Et

Et quia iam senior maiorq̄ virilibus annis
Consortem thalami quærere iussus erat.
Non illum Veneris lasciuo filius arcu
Mouit, nec technis illecebrosa Venus.
Sed memor, æthereus quod sit plantandus Olympus,
Quod sit cum socia crescere iussus Adam:
Quod sterilis fuerit maledicto obnoxia vita,
Quod sponso in Cana facta sit vnda merum.
Horum inquam memor vxorem virtute decoram
Ducit, cui pulchro est forma pudore comes.
Forma vel insigni præstantior ore Diones,
Certarent frontis Lumina syderibus.
Os roseum, facies illimis, eburnea ceruix,
Brachia sythonia candidiora niue.
Deniq̄ totius spectes si corporis artus,
Pandoræ forma dixeris esse parem.
Ecce genas nitidas quam blandè circulus ornat
Sanguineus, cuius filia bella pudor?
Lactea quam grato cutis est suffusa rubore?
Omnibus ex membris gratia quanta fluit?
Tres solum charites vana est mentita vetustas,
Vel centum Charites alter ocellus habet.
Vultus ridentis Charites plus mille recludit,
Ridentis præsens lumina Philtron alunt.
Quam lætos spirat blandus gelasinus honores,
Qui non in Paphia gratior esse queat.

Nata

Nata mari Venus est, & sponsa Marina vocatur,
A Venere hoc pulchrum nomen adepta gerit:
Munera nec sileam mentis, vitamq; probatam,
Non sunt ingenij prætereunda bona.
Sunt niuei mores, trutina mens iustior æqua est,
Aspicias gestus, quod facit omne decet.
Siue velis manuum quod opus, siue ore fluentem
Sermonem, est similis docta Minerva tibi.
Nec vaga deformat doctos lasciuia mores,
Possidet ingenuus pectora sancta pudor.
Corde nec est prono ad vindictam prædita, quamuis
Vindictæ cupidum sit muliebre genus.
Non fouet indomitis rabiosam ardoribus iram,
Temperat affectus, iusticiamq; colit.
Quæ celebres Christi pandunt oracula vates,
Auscutare illi sedula cura fuit.
Hinc instare sacris precibus tam prompta voluntas,
Hinc tantus veræ relligionis amor.
Hinc illi virtus, & rara modestia linguæ,
Compositi mores, ingenuusq; pudor.
Audiit à teneris annis pia dogmata matris,
Atq; auia memori pectore iussa bibit.
Hanc amat vt matrem & multo veneratur honore,
Multum huic acceptum grata Maria refert.
Ecce puellaris cœtus comitatur euntem,
Ceu Dryades, comites virgo Diana tuæ.

Aura

Auraleuis circumlambit mentumq; genasq;
Et furtim letans oscula grata rapit.
Ornato flamen ventorum ludit amictu,
Et fufis circum candida colla comis.
Vestibulum superant, sacramq; venitur ad aram,
Concipiunt tales sponsus & illa preces:
Omnipotens æterne Deus, qui fœdera lecti
Sanxisti, castum connubiumq; probas,
Ipse tuum summa mittas spiramen ab arce,
Id nos vnanimi iungat amore duos.
Pronuba pax, alto delabens æthere, firmet
Coniugium, vt concors sit sine lite thorus.
Ipse Deus tristes casus, curasq; repelle,
Ne turbent sanctum fata sinistra statum.
Des etiam sobolem, fœcundo pignora lecto,
Ne noster sterilis sit sine honore thorus.
Interea peragit venerandus sacra sacerdos,
Commemorans thalami iura parentis Adæ.
Vt Deus ipse suo post prima exordia mundi
Verbo firmarit fœdera sacra thori:
Sic sponso iungit sponsam, sed vtrisq; precatur
Vt semper præsto Christus adesse velit.
Hinc notas repetunt ædes, donisq; fruuntur,
Quæ dederant largè Bacchus & alma Ceres.
Nec deest augurium: geminas tueare columbas,
Vicina vt iungant mutua rostra domo.

B

Vnani-

*V*uanimes iunctis collibant oscula rostris,
Et testes stabilis coniugij esse volunt.
*C*arpite non segnes concessi gaudia lecti,
Dum viridis leto flore iuuenta viget.
*Sc*ilicet obrepit furtim rugosa senectus,
Canus in effæto corpore torpet amor.
*D*ulce senectuti, dum balba voce parentes,
Forte aliquid sobolis garrula turba rogat.
*N*ec cui turpe fuit, proli indulgere creandæ,
Quem modo concessus, non vagus, vssit amor.
*N*on ne aluos steriles damnat sacra pagina? non ne
Multa prole parens dignus honore fuit?
*C*ontra audet tamen Ausonius sentire tyrannus,
Coniugioq; suos abstinuisse iubet.
*P*apa maritales pulcrum dediscere tædas
Iudicat, & casti iura probata tori.
*L*ignipedes & rafa cohors, Vestæq; sorores
Mentita superos Virginitate colunt.
*M*os erat antiquis multo laudabilis æuo,
Virgineos annos inseruisse scholis.
*I*n sacra æde probas mentes formare, rudisq;
Ætatis florem ritè dicare Deo.
*M*ox aptas thalamo postquam maturior ætas
Fecerat, haud licuit nubere nolle viris.
*D*iuina matres fieri sunt lege coactæ,
Et graue Lucinæ ferre doloris onus.

Ipsa

Ipsa parens Christi sacra transegit in æde
Lustra suæ vitæ virgo tenella duo.
Ut castos mores, Solymam duxere parentes,
Imbiberet veri noticiamq; Dei.
Post ubi maturos iam peruenisset ad annos,
Nubere diuina lege coacta fuit.
Papa sed inuitas clausa semel æde receptas
Arcet coniugio, quod Deus ipse probat.
Sic multos miserè cogit sterilescere ventres,
Connubio licito, dum vetat vsq; frui.
Sic causam Veneris furtiuo præbet amori,
Sic causam spurco præbet adulterio.
Legitimas in amore faces, tædasq; iugaleis
Ipse dedit nobis, instituitq; Deus:
Ne cœcum foueant ignem vaga pectora, néue
Nostrum eat in nihilum deficiatq; genus.
Inter cuncta apibus concessum animalia solis,
Expertes Veneris ducere posse genus.
Non homo sed saxum, naturæ hostisq; putandus,
Numini & æterno penè rebellis erit,
Corda maritalis gelido qui spernit amores,
Nec sancto iussi tangitur igne thori.
Non solas natura iubet generare columbas,
Non modo turturibus fœtificare datum:
Pro genitis catulis quoq; dimicat effera tigris,
Reddit onus partu torua læna suum.

B ij Adde

Adde quod, est adhibenda fides si autoribus vlla,
Arboribus rigidis sexus vterq; subest.
Fœmina palma foret, mirum, sine fructibus vllis,
Huic nisi porrigeret mascula palma comas.
Namq; aliqua quando se declinare videntur
Ad caput alterius, concubitusq; petunt,
Illas agricolæ nexas huic fune maritant,
Vnde vigor cupidis fertilitasq; venit.
Tunc caput attollunt mox rursus in aëra lætæ,
Fune capeffentes robur opemq; maris.
Nonne suos norunt latebrofa metalla parentes,
Quæ gaudent ortus sulphur habere patrem,
Argentumq; trahunt materna ab origine viuum,
Sed tamen ætherea luce fouente genus?
Sunt & qui gemmis tribuant discrimina sexus,
Vt monstrent verum luxq; colorq; genus.
Vxor Iuno Ioui fœcundo iuncta cubili
Dicitur, & multa prole beare virum.
Nempe referre Iouem sublimes ætheris ignes,
Iunonem terram significare volunt.
Non'ne colore suo semper reuolubilis æther,
Fœcundat gremium terra supina tuum?
Sic quandam tædæ speciem natura iugalis
Omnibus in mundo rebus inesse dedit.
Et quia mille modis nos mors vocat atra sub vmbra,
Morbis, Marte, vndis, restibus, igne, gelu:

Cladibus

Cladibus his vnam opposuit natura medelam,
Ne nostrum prorsus desinat esse genus.
Progenies sobolis, dulcisq; propago nepotum
Nos à crudeli vindicat interitu.
E tumida veluti facunda repullulat aluo,
Arboris excisæ planta parentis honos,
Sic homo qui genuit, non interijssse videtur,
Nati sunt mæstæ læta propago domus.
Scilicet humanum genus immortale putatur,
Perpetuo prolem sufficiendo sibi.
Credite mortales, status est dignissimus almi
Coniugij, nostrum sustinet iste genus.
Ipse licet verax æterni patris imago
Christus sit pura virgine natus homo,
Non tamen extra illos fines, & vincula sacri
Coniugij voluit virginis esse puer.
An quia non status in vita est hoc dignior alter,
In quo rex regum reddita nostra caro est?
Non Moyses, iustusue Solon, sapiensue Lycurgus,
Has primum leges instituire thori.
Sed Deus in fontis Paradisi in floribus ipse,
Vxorem proprium iussit amare virum.
In Cana veluti est architriclinus Iesus,
Et facit è fontis dulce liquore merum,
Sic sanctis semper sponsis dignatur adesse,
Fraternoq; omnem pectore præstat opem.

B ij

Insi-

Inspidas undas generoso mutat Iaccho,
Luctum letitia, pauperiemq; bonis.
O ter felicem qui fausto numine diuum
Mandati voluit fœdus inire thori.
In natis dulcis pubescit imago parentum,
Quam quoq; in angusto sæpe nepote vides.
Vxor grata tuis socia est iuuenilibus annis,
Deinde graui senio dulce leuamen erit.
Siue domi degas, aderit quæ tædia vitæ
Pellat, fortunæ fida ministra tuæ.
Siue abeas peregre, charis tua colla lacertis
Vinciet, vt properum mœsta retardet iter.
Per mare per terras dum mille pericula transis,
Vt redeas, superos fletibus illa rogat.
Grata feret reduci tibi mollibus oscula labris,
Nec poterit fidei fallere signa suæ.
Illa patrem matremq; piam, dulcesq; sorores
Et charos fratres temnit amore tui.
Respicit in te vnum, leta ex te pendet & vno,
Pro te, si cuperes, emoritura lubens.
Displiceat testes memorare fidelis amoris,
Eurialum Nisi, Thesea Pyrithoi.
Castora Pollucis, Pyladen amentis Orestæ,
Damonem Pythiæ, Nestora Tantalidis.
Quin potius coniunx Pompei Iulia Magni,
Maxima non ficti testis amoris erit.

Et

Et forti ardentem hausit quæ gutture prunas,
Audiit ut tristi Marte perisse virum.
Vxor & Admeti totum celebrata per orbem,
Mortem pro charo coniuge passa volens.
Nec minus æternis Mithridatis laudibus vxor
Digna, viro presso quæ comes arma tulit.
Halcyone pelago mersa est Ceycis amore,
Cuius adhuc funus paruula deflet auis.
Et viduata viro bis denos Icaris annos
Permanet elusis intemerata procis.
Seruat Hypermestra constans in amore, maritum,
Nil timet infesti vincula sæua patris.
Inchyta Mausoli coniunx commista Lyæo
Hausisse extincti dicitur ossa viri.
Tanta fides, tantusq; calor, fax tanta, iugali
Tæda nuptarum pectora fida mouet.
Plurima hirundo tuis æstate erit incola tectis,
Præsto erit ast hyemis tempore nulla tibi.
Sic tibi, quem fidum Pyladen, quem Thesea dices,
Deficiet, si te tristior aura petat.
Sola tuæ coniunx reddet solatia menti,
Si vitam affligat fors inimica tuam.
Qui genus omne fide dicit muliebri carere,
Coniugium spernit, turpe lupanar amat.
Sanctas matronas fædis meretricibus æquat,
Numinis irati sentiet ille manum.

Illicitas

Illicitas flammæ, spurcæq; libidinis ignes
Multat aquis, morbis, ignibus, ense Deus.
Ergo sponse tibi & sponsæ gratamur honestæ,
Quod cupitis puro corde placere Deo:
Quod pedicas fugitis turpesq; cupidinis arcus,
Atq; vagæ Veneris retia tensa manu.
His Deus aspira clementi numine tædis,
Nulla queant sancto damna nocere thoro.
Nec demens placidum discordia turbet amorem,
Dira procul rabidis litibus absit Eris.
Quàm pura & constans casto est in turture flamma,
Tàm foueant puras pectora vestra faces.
Plurima vos olim delectet turba nepotum,
Scilicet æternæ germina grata scholæ.
Qui sanxit primi socialia fœdera lecti,
Hunc etiam vestrum prosperet ipse statum:
Subleuet innumeros vitæ thalamiq; dolores,
Oblectent vestros mitia fata dies.
Hoc precor : hoc omnes vno ore precantur amici,
Quos tibi sincero iunxit amore fides.

F I N I S.

Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





LIX.

ITHALAMION

HONOREM

NUPTIALIS, VENE-

RI AC PII VIRI, DOMINI MAGI-

STRICIS Hameri, Ecclesiastæ Huse-

& pudicæ uirginis Mariæ

etri Husemensis scri-

ptum

A

IO HARRINGO HAT.

Pastore Ecclesie Gorcensis.

die 20. Augusti.



ITEBERGÆ

REBAT IOHANNES

CRATO,

1673 M. D. LXIIII.

72

57